

niam, nisi præpeditus tuero canonica præpeditio. Legatum apostolicæ sedis, quem certum legatum esse cogovero, in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Apostolorum limina singulis annis, aut per me, aut per certum tantum meum visitabo, nisi eorum absolvar licentia. Sic me adjuvet Deus, et hæc sancta Evangelia. »

Nota quod Petrus subdiaconus, cui allata formula missa dicitur, fuit defensor Siciliae tempore Gregorii Magni. Hinc fortasse argui posset prælaudatum summum pontificem formulæ hujusmodi esse auctorem. At licet plures Gregorii Magni epistolæ exstant ad dictum Petrum subdiaconum, nulla tamen ex illis patet epistolæ ejusmodi sacramenti formulam exhibet. Franciscus Hallierius tribuit relatam formulam Gregorio II; alii legunt Gregorius III. Rectius præstat eum Cujacio, in h. text., integram formulam Gregorio VII tribuere, qui, ut supra diximus, simile fidelitatis et obedientiæ jusjurandum ab Aquileiensi archiepiscopo exegit, uno tantum capite de invisendis apostolorum liminibus carens.

(88. Hujusmodi formula est illa eadem a Clemente VIII reformata, et extensa, ac in Pontificali Romano inserta, quam nos attulimus.

(89. Nisi quod in Pontificali Romano, loco *Regulas sanctorum Patrum*, uti in allato

### JURISDICTIO.

#### SUMMARIUM.

1. Jurisdictio unde dicta, et quid sit, ad n. 2. — 3. Jurisdictionis quotuplex divisio, et quæ, ad n. 10. — 11. Jurisdictio ordinaria quot modis acquiratur, et qui eam habeant privilegio, lege, vel consuetudine, ad n. 18. — 19. Jurisdictio ordinaria in quo differat a delegata, ad n. 21. — 22. An episcopi jurisdictionem immediate a Christo pariter habeant ac apostoli habuerunt, ad n. 25. — 24. Quæ sit varia sacerdotum sive sæcularium, sive regularium jurisdictionis quoad confessionem, ad n. 37. — 38. An jurisdictionis gravi metu, vi, sive fraude obtenta, seu extorta, ipso jure sit nulla, ad n. 39. — 40. Quinam actus jurisdictionis regulariter diebus feriatis sint invalidi, ad n. 41. — 42. Alia ad rem, ad n. 52. — 53. Subnectuntur additiones ex aliena manu, ad n. 69.

(1. Jurisdictio dicta est a jure dicendo secundum æquitatem jurisque regulas, tanquam præcipuo publicæ potestatis officio, ut colligitur ex l. 1, ff. de jurisdiction. omn. judicium, et ex l. 1, § *Damnatus*, ff. de suspectis tutoribus. (2. Hinc jurisdictio definitur, quod sit « Facultas alicujus habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios ad eorum regimen et gubernationem; Est in re communis. »

(3. Jurisdictio dividitur primo in ecclesiasticam et civilem. Jurisdictio ecclesiastica est illa, quæ circa causas ad Dei cultum, spiritualesque animarum salutem pertinentes versatur. Et hæc exercetur, nedum in foro externo, sed etiam in foro interno, seu conscientiæ et sacramentali. Jurisdictio civilis seu politica est illa quæ circa causas sæculares et profanas versatur, et temporalem reipublicæ gubernationem respicit. Et hæc exercetur solummodo in foro externo.

(4. Jurisdictio dividitur secundo in voluntariam et contentiosam. Jurisdictio volun-

textu jur., Decretal. dicitur *Regalia sancti Petri*.

(90. Ita quoque, ut in Pontificali Romano, legitur in actis concilii Romani, sub Gregorio VII, ut supra vidimus. Et sane dici posse videtur hanc esse genuinam lectionem, magisque propriam, nempe *Regalia Sancti Petri*; opinaturque non immerito Ant. Augustinus, in cap. 20 de elect. 1, Collect., erratum fuisse ex litterarum compendio. Nimirum *Regalia Sancti Petri*, fortasse per notas R. S. P. scripta erant, pro quibus compilatores expresserunt *Regulas sanctorum Patrum*. « Forsan, sic quoque Gonzales, quia notis scriptum erat hoc juramentum ita, R. S. P. id est *Regalia sancti Petri*, compilatores legerunt *Regulas sanctorum Patrum*, ut crucem figerent repetentibus in presenti in expositione horum verborum, » ad tit. 24, ex. de jurejur., cap. 4, n. 1. Verum tamen est in eodem Pontificali Romano, in formula, de qua supra, etiam *Regulas sanctorum Patrum* paulo infra adjici.

Ex his porro omnibus, quæ dicta ac commemorata sunt, evidentissime liquet quam falso Molineus contendat juramentum, de quo sermo est, non nisi a temporibus Gregorii IX, qui pontificiæ potestatis munia an. 1227 auspiciatus fuit, esse repetendum, ab eoque primam duxisse originem.

Atque hæc de juramento exposuisse sufficiat.

runt, ad n. 25. — 24. Quæ sit varia sacerdotum sive sæcularium, sive regularium jurisdictionis quoad confessionem, ad n. 37. — 38. An jurisdictionis gravi metu, vi, sive fraude obtenta, seu extorta, ipso jure sit nulla, ad n. 39. — 40. Quinam actus jurisdictionis regulariter diebus feriatis sint invalidi, ad n. 41. — 42. Alia ad rem, ad n. 52. — 53. Subnectuntur additiones ex aliena manu, ad n. 69.

taria est illa quæ exercetur solum in volentes, et ad hanc in civilibus spectat manumissio, et adoptio juxta l. ii, ff. de officio proconsulis. In ecclesiasticis autem ad hanc spectant, ordinatio, consecratio, benedictio, absolutio, dispensatio, beneficiorum collatio, et hujusmodi, ut notant doctores in cap. *Decernimus* 2, de judiciis, et apud Barbos. de offic. et potest. episcop., part. iii, alleg. 126, n. 4. Jurisdictio contentiosa est illa quæ exercetur in invitos, v. gr., in jus vocando, puniendo et alia hujusmodi exercendo, quæ expediri non possunt, nisi iudice pro tribunali sedente, seu quando inter duos pluresque contenditur; arg. l. *Inter stipulantem*, § 2, ff. de verb. oblig., ibi: *Judicium autem etiam in invitum redditur*, et amplius declarat Glossa in cit. l. ii, ff. de officio proconsulis, verb. *Contentiosam*.

(5. Jurisdictio voluntaria differat a contentiosa, nedum ex dictis, qui voluntaria solum in volentes exercetur, unde etiam nomen accepit, et contentiosa etiam in invitos exerceri potest in judicio, unde a conten-

tione partium inibi contententium nomen desumpsit. Sed etiam differat, quia voluntaria jurisdictionis extra proprium territorium valide, et plerumque etiam licite exercetur, dispensando, v. gr., cum subditis in eorum volis et juramentis, absolvendo a censuris et peccatis, assistendo eorum mairimoniis, legitimando, adoptando, delegando et hujusmodi. Cum enim ad voluntariæ jurisdictionis exercitium non requiratur strepitus, seu processus judicialis, nec opus sit iudicem pro tribunali sedere, ideo nulla inferitur injuria iudici, in cujus territorio, seu diocesi tales privatim actus exercentur, ut docent communiter doctores in cit. l. ii, ff. De officio proconsulis, et in cap. *Novit* 7, De officio legati. Jurisdictio autem contentiosa, utpote quæ causas, tum civiles, tum criminales definire debet cum strepitu, seu processu judiciali pro tribunali sedendo, exerceri non potest extra proprium territorium sine expresso vel tacito consensu iudicis illius loci, ipsarumque partium contententium: Cum, ut expresse dicitur in cap. *Ut animarum periculis* 2, de constitutionibus in 6. *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*, et ita ibi doctores communiter.

(6. Jurisdictio dividitur tertio in ordinariam et delegatam. Ordinaria est illa quæ cuipiam jure proprio, seu ratione officii, aut dignitatis suæ ex lege, canone, vel consuetudine competit. Delegata est illa, quam quis non habet jure proprio, sed solum ex commissione alterius, cujus vice fungitur. Sic colligitur ex l. *More majorum*, et l. *Et quia*, ff. de jurisdic. omn. judic., ubi is censetur habere jurisdictionem ordinariam, ac delegare posse, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet.

(7. Jurisdictio dividitur quarto in imperium et simplicem jurisdictionem. Imperium est jurisdictionis quæ nobili iudicis officio exercetur; officium autem nobile iudicis est illud, quod non deservit, nec alligatur alicui actioni, sed iudex motu proprio, sive ex officio ex se, et non adductus a partibus, procedere potest ad crimina puniendia, beneficia, privilegia conferenda, et hujusmodi, juxta cap. *Qualiter et quando* 24, de accusationibus. Simplex jurisdictionis est quæ exercetur iudicis officio mercenario; officium autem mercenarium iudicis est illud quod deservit, et alligatur actioni intentæ per partem; iudex enim habens simplicem jurisdictionem non potest motu proprio, sive ex officio ex se procedere ad causas et lites civiles, sed solum ad instantiam actoris. Unde talis iudex, si partes instent, debet procedere et sententiam ferre, nec potest ipas partes ad compositionem compellere; et si partes desistant, debet et ipse a tela iudiciaria desistere; sic ex Bartolo in l. i, et l. *Imperium* 3, de jur. omnium iudicium, Abbate in cap. *Quod sedem* 10, De officio iudicis, ordinarii num. 5; Durand. in spec., tit. *de jurisd. omnium jud.*, n. 10; Molina tr. 5, de justitia, n. 1, 2 et seq.; Layman

Theol. moral. 1, tr. 4, c. 5, n. 7; Pirhing lib. i Decretal., tit. 31, n. 3.

(8. Imperium dividitur in *merum* et *mistum*. Merum imperium est jurisdictionis, quæ exercetur iudicis officio nobili publicam utilitatem respiciente; cujus actus sunt leges condere, malefactores punire, et hujusmodi. Mistum imperium est jurisdictionis, quæ nobilioris officio privatam utilitatem respiciente, exercetur; et ejus actus sunt: tutores dare, mittere in possessionem, restituere in integrum, et hujusmodi. Imperium merum appellatur alio nomine Jurisdictionis alta, seu summa. Imperium mistum alio nomine dicitur jurisdictionis bassa, seu inferior, quæ competit cuilibet magistratui, licet non semper quoad omnes actus. Sic ex citatis doctoribus.

(9. Imperium merum, juxta jus civile tribus veluti gradibus distinguitur. Primus, seu supremus continet pœnas mortis naturalis, ut combustionis, rotæ, decapitationis, et hujusmodi. Secundus complectitur pœnam mortis civilis et deportationis in insulam, relegationis, seu banni regii vel imperialis. Tertius respicit pœnas non capitales, tum corporis afflictivas, tum famosas, ut atputationis manuum, fustigationis, sistentiæ ad numellas, et hujusmodi. Engel tit. De officio iudicis, num. 1; Christophorus Chlingensperger, lib. i Collegii Instit.; Justinian., tit. 20, q. 6; Reiffenstuel, lib. i, decret., tit. n. 29, 22, et alii.

(10. Imperium merum datur etiam de jure canonico. Ita Glossa magna, et Abbas in cap. *Quod sedem* 10, de Officio ordinarii, num. 5; Engel eod. tit., num. 12; Reiffenst. loc. cit., num. 25 et 26; Pirhing loc. citat., n. 3, et alii passim. Hinc de jure canonico ad primum gradum imperii meri spectat gladius spiritualis, scilicet potestas excommunicandi, quæ pœnis capitalibus comparatur, textu expresso in cap. *Per venerabilem* 14, *Qui filii sint legitimi* § *Sunt autem*. Item potestas degradandi et tradendi curiæ sæculari, juxta Glossam in cap. *Quod sedem* 10, verb. *Committitur* ante finem De officio ordinarii, quod equiparatur ultimo supplicio, ut recte notat Innocentius in c. *Qualiter et quando* 24, De accusationibus, et alii passim. Ad secundum gradum spectat potestas relegandi, subjiciendi torturæ, perpetuis carceribus mancipandi, verberandi flagellis citra mortem, vel mutilationem, et hujusmodi. Ad tertium gradum spectat potestas leniter coercendi in corpore, carcerandi ad tempus, imponendi multam pecuniariam, et hujusmodi. Sic ex citatis doctoribus.

(11. Jurisdictio ordinaria tribus modis acquiri potest, scilicet: vel ex privilegio supremi principis concessio dignitati, seu personæ, vel a lege, seu canone; vel ex consuetudine legitime præcripta, cap. *Duo simul* 9, De officio ordinarii; Imola, ibid., num. 1. Durand., in spec. tit. De Officio vicarii § 2, num. 1. Pirhing loc. cit., num. 5, et alii passim. (12. Et quidem ex privilegio supremi principis ecclesiastici, scilicet a summo pontifice constituuntur iudices ordinarii, le-



gati, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, officiales sedis, seu curiæ Romanæ, ut vice-cancellarius, camerarius, et alii hujusmodi. Et a supremo principe sæculari, scilicet imperatore, rege et hujusmodi constituuntur duces, marchiones, comites, alique provinciarum aut locorum gubernatores, magistratus, et hujusmodi, qui omnes gaudent jurisdictione ordinaria. *Communis*.

(13. A lege, seu canone constitui censentur judices ordinarii, qui secundum præscriptum legis aut canonis, vel ab homine publicam potestatem habente, vel ab universitate, seu collegio, vel capitulo per electionem constituuntur. Sic quilibet ab universitate, collegio, capitulo, congregatione, et hujusmodi electus legitime et canonicè in rectorem, et præfectum, seu superiorem ejusdem, ut illi per modum capitis præsit: habet jurisdictionem ordinariam erga suos subditos in causis spectantibus ad universitatem, collegium, capitulum, congregationem, et hujusmodi. *Communis*. Et episcopus etiam creando vicarium generalem, facit ipsum judicem ordinarium, cum vicarius generalis gaudeat auctoritate ordinaria, ut dicitur infra sub num. 15. (14. Ex consuetudine legitime præscripta censentur constitui judices ordinarii, qui per tempus legitimum, scilicet 40 annorum cum propria bona fide, et etiam scientia, et patientia eorum, contra quos præscripserunt, tali jurisdictione uti sunt, quia consuetudo legitime præscripta tribuit jurisdictionem ordinariam; cap. *Simul* 9, De officio ordinarii, et cap. *Cum contingat* 13, de foro competente, et ibi Glossa verb. *Maxime*, et canonistæ communiter, sicuti etiam tenent communiter legistæ in l. *Imperium* 3, ff. De jurisdictione omnium judicum.

(15. Vicarius generalis episcopi habet jurisdictionem ordinariam, et non delegatam. Ita colligitur ex cap. *Non putamus* 2, De consuetudine in 6, ex cap. *Romana* 3, § 1, de appellat. in 6, ac tenet expresse Glossa in cit. c. *Romana*, verb. *Generaliter*, et alia Glossa in cit. c. *Licet* 2, verb. *Officialem*, De officio vicarii in 6; Abbas in c. *Quoniam* 14, num. 11, De officio delegati, et cap. *Decernimus*, num. 12, De judiciis; Felinus in Rubric. De officio delegati num. 4. Sperellus decis. 97, Fori ecclesiastici num. 3; Maranta in Speculo auro, part. iv, dist. 5, num. 12 et 13; Covarruvias, lib. iii Variar. resolut. cap. 20, num. 4, et Pract. quæst. cap. 4, n. 8; Mascardus De probationibus conclus. 1413, n. 9, et 32; Nicolaus Garcias De beneficiis, part. v, cap. 8, n. 21; Sbrozius De officio vicarii lib. ii, quæst. 55; Bernardus Sannig De officio Vicarii, cap. 4, num. 5; Pirhing eod. tit., num. 35; Reiffenst. ib., a n. 91 ad 101, ubi late id probat, et solvit argumenta contraria; Sanchez, lib. iii De matrimonio disp. 29, num. 2, 3 et sequent; Barbosa De offic. et potest. episcop., par. iii, allegat. 54, num. 26, ubi innumeros alios citat pro hac sententia: et a num. 37 ad 46, ubi solvit omnia argumenta contrariæ sententiæ, cujus patronos varios cum suis argumentis citat et adducit a num.

30 ad 37, et sic tenet etiam Sacra Rota recentior, part. iv, tom. I, decis. 614 n. 2, et ead. part. iv, tom. II, decis. 48, n. 10. Vide verb. *Vicarius generalis*, art. 1, n. 41.

(16. Etratio rostra est, quia jurisdictione, quæ a lege, seu canone ratione officii seu dignitatis, alicui conceditur, est ordinaria, l. *More Majorum*; et l. et Quia, ff. de Jurisdictione, omn. judic. Vicarius autem generalis episcopi habet jurisdictionem a canone, et ratione sui officii sibi concessam, cap. *Licet* 2, De officio vicarii in 6, cum similibus; et notat Glossa in d. cap. *Licet*, verb. *Officialem*, plura jura adducens, adeoque, etc. Tum quia idem est tribunal, seu auditorium, eademque jurisdictione episcopi et vicarii sui generalis, textu expresso, cap. *Non putamus* ii, De consuetud. in 6, ibi: « Cum sit idem auditorium utriusque; » et in cap. *Romana* 3, De appellationibus eod. in 6, ibi: « Cum unum, et idem consistorium, sive aulitorium sit censendum. » Jurisdictione autem episcopi est ordinaria, cap. *Cum episcopus* 7, De officio ordinarii in 6, adeoque etiam ordinaria erit illa sui vicarii generalis; tum etiam quia si jurisdictione vicarii generalis non esset ordinaria, sed delegata, daretur appellatio ab ipso ad episcopum, cum a delegato detur appellatio ad delegantem, textu expresso in cap. *Super questionum articulis*, § Porro 27, De officio delegati cum similibus; atqui a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, textu clarissimo in cit. cap. *Non putamus* 2, De consuetud. in 6, addita ratione: « Ne ab eodem ad se ipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur; » et in cit. cap. *Romana* 3, § 1, De appellat. eod. in 6, ibi: « Nec ab eisdem ad se ipsos interponi videatur, » adeoque, etc.

(17. Nec valet objicere quod episcopus instituat seu constituat sibi vicarium generalem, et possit ipsum quoties voluerit amovere; adeoque ejus jurisdictionem non esse ordinariam, cum jurisdictione ordinaria sit perpetua, et neque mortuo concedente expiret, ut patet ex c. *Legato* 2, De officio legati in 6. Non valet, inquam, quia eo ipso quod quis instituit vicarium generalis ab episcopo, jus tribuit ipsi jurisdictionem, et quidem immediate, arg. cap. *Licet* 2, De officio vicarii in 6, et notat Barbosa cit. allegat. 54, num. 44. Sanchez lib. iii, De Matrim. disp. 29, n. 13. Fagnan. in cap. *Quod nobis* 2, De clandestina desponsat., num. 43, et alii. Quamvis enim episcopus mediet quasi nominans, et instituens, non tamen mediat quasi dans jurisdictionem. Nec obstat quod jurisdictione vicarii generalis ad nutum episcopi sit revocabilis, quia id non fit ex eo quod jurisdictione illa non sit ordinaria, sed quia vicarius consequitur eam a lege mediante nominatione episcopi. Cum igitur hanc nominationem possit episcopus revocare, sublato antecedente, necessario tollitur et consequens. Simile enim quid contingit in iudiciis, qui ordinariam habent jurisdictionem, non obstante, quod eorum jurisdictione cesset statim ac per superiorem a suis officiis amoveantur, et ad ipsa officia a tali superiore

seu principe fuerint nominati et deputati. Et quamvis jurisdictione ordinaria sit perpetua, quando inest primario, et per se in iudicante, non tamen perpetua est ea jurisdictione ordinaria, quæ in ipso inest solum secundo, et accessorie ad aliam ordinariam, cui coheret, uti est jurisdictione ordinaria vicarii generalis coherens jurisdictione ordinaria episcopi: et hoc patet exemplo legati proconsulis, qui, moriente proconsole, cessat et amittit non solum jurisdictionem, quæ a proconsole mandatur, de qua in leg. *Legati* 13, De officio proconsulis, sed et dationem tutoris, quæ tamen non ex mandato proconsulis, sed proprio jure ex legislatione eidem competit, juxta leg. 1, vers. Legatus quoque, ff. De tutoribus et curatoribus, l. Et legati 15, juncta Glossa De officio proconsul. Sic Barbosa cit. allegat. 54, num. 44. Sanchez cit. l. iii De matrimonio. disp. 29, num. 13. Reiffenst., lib. i Decret., tit. 18, n. 100. Quintanadv. lib. ii De jurisd., n. 14, et alii.

(18. Jurisdictione quoque vicarii capitularis, sede vacante, est ordinaria, statim enim ac ipse eligitur, a jure transit in eum tota jurisdictione ipsimet capitulo competens, adeo ut non sit necessaria specialis commissio, cum conc. Trident. sess. 24, cap. 16, *De Reform.*, arctaverit capitulum ad constituendum vicarium, qui jurisdictionem suam administret. Mariba De jurisd. par. ii, cap. 30. Marchetus in praxi vicarii capitularis part. ii, tit. 12, num. 35. Aloysius Riccius in Praxi aurea par. ii, resolut. 99, num. 1. Sanch. lib. iii, De matrimonio disp. 29, num. 4. Reiffenst. loc. cit., num. 97; Guttier. De Matrimonio, cap. 66, n. 13. Rota recentior par. iv, tom. II, dec. 48, num. 10. Addendum hic aliquid de Parochi jurisdictione. Habent et hi jurisdictionem ordinariam in foro interno, quam suis Cappellanis delegant. Dixi in foro interno. Nam licet Petrus Mengonius an. 1732, disceptationem De eminentiori parochorum dignitate supra canonicos, Florentiæ ediderit, in eaque Parochis jurisdictionem ordinariam etiam in foro externo asserere conatus sit, ductus decretali Alexandri III, cap. *Cum ab Ecclesiarum*, De offic. judic., anno tamen sequenti Joannes Dominicus Larius eum strenue confutavit in alia dissertatione Pisis evulgata. Vide Benedict. XIV, De Synodo Diocæs. lib. v, cap. 5, n. 2.

(19. Jurisdictione ordinaria primario, et per se inexistens in iudicante non exstinguitur morte concedentis, v. g. Papæ; cap. *Legatus* 2 De officio legati, in 6, cum similibus.

(20. Jurisdictione autem delegata expirat, si delegans, re integra, moriatur, cap. *Relatum* 19, cap. *Gratum* 20, cap. *Licet undique* 30, De officio judicis delegati, l. Et quia, ff. De jurisd. omn. judic.

(21. Et ratio disparitatis est, quia concessio jurisdictionis ordinariæ est gratia facta ipsi, cui conceditur, cum talis in dignitate constituatur, gratia autem facta non expirat morte concedentis, etiam re integra, textu expresso in cap. *Si cui* 36, De præbend. in 6, ibi: « Hujusmodi concessio (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansu-

ram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis. » E contra vero jurisdictione delegata non est gratia facta ipsi delegato, sed quoddam mandatum de faciendajustitia alteri; mandatum autem expirat morte mandantis, re adhuc integra; l. *Mandatum*, Cod. Mandati et cap. *Licet undique* 30, De offic. judicis delegati, ibi: « Mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit; » Reiffenst. loc. cit., tit. 29, num. 51; Sanchez lib. iii De matrimon., disp. 22, n. 55 et 57, cum aliis.

(22. Apostoli omnes immediate a Christo, et non mediante Petro, acceperunt suam jurisdictionem; vide *Apostolus* a num. 6 ad 11, ubi late de hoc. (23. Episcopi jurisdictionem habent mediante Papa.

(23. Jurisdictione enim habita ab apostolis immediate a Christo fuit solummodo personalis et extraordinaria propter necessitatem illius temporis et primæ foundationis Ecclesiæ, adeoque in se ipsis terminatura, nec transitura ad suos successores, quales sunt episcopi Papa inferiores. Melchisedes Papa in Epistola decretali; Anacletus Papa cap. *In novo* 2, dist. 21, et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 22, Bellarmin. De pontifice lib. iv, cap. 2; Barbosa De offic. et potest. episcop., par. i, tit. 1, c. 1, a n. 18, et alii passim. Cave, credas, sententiam de episcoporum jurisdictione a Summo Pontifice derivatam non nisi Isidorianis hisce, quas auctor laudat, Melchisedis et Anacleti decretalibus niti. Multo gravioribus illa argumentis probatur, quæ adversus Febronium proposita invenies, atque expensa a Franc. Antonio Zaccaria in utroque *Antifebronio* Italico et Latino. Id tamen omnino præ oculis habendum, episcoporum jurisdictionem, sive sit immediate a Christo Domino, sive a Summo Pontifice, ita semper huic subesse, ut *consentientibus omnibus Catholicis* (quod aiebat idem Benedict. XIV, lib. vii, cap. 8, num. 7) « ejusdem auctoritate et imperio limitari atque ex legitima causa omnino auferri possit. »

(24. Confessarii regulares ordinum mendicantium, et aliorum exemptorum communicantium cum ipsis privilegiis habent immediate a Papa jurisdictionem in quosvis Christifideles, supposita tamen approbatione episcoporum. Clementina *Dudum*; De sepulturis, et sic declarasse etiam Sac. Congreg. Concilii testatur Fagnan. in cap. *Omnis*, De penitentis et remissionibus, num. 79. Vide verb. *Approbatio*, art. 1, num. 42.

(25. Jurisdictione, seu potestas jurisdictionis necessario requiritur in confessario, et absolutio data a sacerdote sine jurisdictione est nulla; vide verb. *Confessarius* art. 1, a num. 6 ad 10.

(26. Defectu jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus, neque valide potest absolvere a peccatis venialibus aut mortalibus alias confessis; Vide d. verb. *Confessarius* a num. 11 ad 12.

(27. Possunt tamen simplices sacerdotes in articulo mortis absolvere nedum a venialibus et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus et censuris etiam reser-